

243 A

LIBER QUARTUS

[Cap. I.] Rubrica de daciis comunis Tergesti
vendendis et ceteris.

Statuimus quod nullum dacium comunis vendi possit per
dominium Tergesti nisi infra quindecim dies ante terminum quo vendi debent ipsi daci, nec aliquod dominium possit preponere in maiori consilio de vendendo aliquod dacium ante dictum terminum, sub pena centum libr. par. pro potestate et libr. quinquaginta par. pro quolibet iudice contrafatiente et vice qualibet contrafacta. ¶ Et quod quicumque emerit aliquod datium dare et prestare debeat comuni Tergesti bonam et idoneam securitatem de solvendo precium pro quo emerit dictum dacium ad terminum constitutum, quam securitatem iudices et procurator comunis recipere debeant et teneantur ab emptore seu emptoribus ipsius daci unius vel plurium, antequam incipiat exigere ipsum dacium sive ante introitum ipsius daci, sub pena libr. quinquaginta par. pro quolibet iudice contrafatiente et libr. vigintiquinque par. pro quolibet procuratore, et de solvendo de eorum propriis bonis totum defectum. ¶ Et quod ementes dacia comunis habeant et habere debeant in dictis daciis exigendis tale ius quale ipsum comune habet, et in eodem iure succedant et succedere valeant quod ipsum comune habet in dictis daciis et quolibet ipsorum exigendis. ¶ Quibus sic ementibus dicta dacia sive de dictis daciis de eorum // rationibus scriptis in eorum quaternis adhibeatur plena fides cum sacramento, et hoc per totum tempus sui termini et per quatuor menses post exitum termini ipsius daci unius vel plurium, et elapsis quatuor mensibus non audiatur. Salva tamen probatione flenda de solucione facta pro tali dacio. ¶ Et de petitis per tales emptores ipsorum daciorum occasione ipsorum daciorum non detur neque dari debeat